

8



INDEX AVCTORVM

1. Astrucius sylloge vocum e Philof: prima de perso: 2^o, et sicam.
2. Foetibus de convergentia Philof: cum Theol.
3. Fili de utriusq: hominis motibus opp. 6.
4. Danz de oporore 7^o Fili am. Patre.
5. Schubert de operationibus gradibus.
6. Guard: de ops: de primo principio Theol. Socinianae.
7. Schwartz de i. Coena altaris 2^o. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.
8. Huth Sociniani omnia evoluti: easque elicit male interpretatur.
9. Formid de miraculis terre motu tempore passionis Xpi.
10. Danz de divina vocatio ne. hominum.
11. Guard: de ops: de creatio 2^o. 3. applicatio 4.
12. Guard: de ops: de 2^o mundi natione.
13. Guard: de ops: de reia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.
14. Guard: de ecclesia Rutheni ca de ops.
15. Walt de vasi civitatis Christi: propheta.
16. Walt 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.
17. Walt 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.
18. Kocher in 2^o parte: de ipsorum precibus expressis.
19. Walt 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.
20. Guard: de gradibus fidei de ops.
21. Walt 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.
22. Michaeli Christi: Bendi: de delectatione apostolorum testium peli: Christi fidei de 2^o 1^o 2^o 3^o 4^o 5^o 6^o 7^o 8^o 9^o 10^o 11^o 12^o 13^o 14^o 15^o 16^o 17^o 18^o 19^o 20^o 21^o 22^o 23^o 24^o 25^o 26^o 27^o.
23. Walt 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.
24. Christobon de fide virtutum fonte: propheta.
25. Noell de fide sanguinis virtutum: Boissacius: Ops: omnia fidei: contra priores.
26. Miller de Orthodoxia cum dogmatica et Ethica concinenda.
27. Noell prope: de Paulino: 2^o 3^o 4^o 5^o 6^o 7^o 8^o 9^o 10^o 11^o 12^o 13^o 14^o 15^o 16^o 17^o 18^o 19^o 20^o 21^o 22^o 23^o 24^o 25^o 26^o 27^o.


IO. ERNESTI SCHVBERT, D.

DISQVISITIO

DE

OPERATIONIBVS

GRATIAE



HELMSTADT

LITERIS SCHNORRIANIS

A. R. S. C M D C C L I X.

IOHANNES KEPLER

OPUS POSTUMUM

DE LINEAMENTIS OPTICIS



PRO-RECTOR ET SENATVS

III

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

S. P. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Facilis et perspicua est doctrina Scripturae de operationibus gratiae. Hanc enim qui pio corde sequitur, remotis omnibus proprii ingenii aut figmentis aut ornamentis, haud difficulter intelliget, totam hanc doctrinam ad tria capita revocari; Hominem nimirum suis viribus naturalibus nihil boni cogitare, velle, aut peragere posse; DEum ipsum propterea homines divina et supernaturali sua virtute illuminare, regenerare, et sanctificare; Haec omnia vero effici ab eo per verbum suum. Id probe perspexerant beati Confessores nostri. Nam cum declarare vellent, quid ipsi hac de re sentirent, breviter, nervose tamen, Art. V. Aug. Conf. dicebant: *Per verbum et Sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur Sp. S. qui fidem efficit, ubi et quando visum*

IV

visum est DEo, in iis, qui audiunt Evangelium, etc. Plenius vero et clarius eandem rem tradidit B. LUTHERVS in Explicatione Art. III. *Credo, inquit, me propriis rationis meae viribus Iesu Christo Domino meo fidere, aut ad eum accedere et pervenire nullo modo posse: Sed Sp. S. per Evangelium me vocavit, suis donis illuminavit, in recta fide sanctificavit, et conservavit.*

In hac simplicitate olim etiam acquiescebant primi Christiani. Nulla tunc audiebatur disputatio *de modo operandi Sp. S.* Fidem enim charitate et pietatis studio exercere et demonstrare, quam de subtilitatibus inutiliter disputare, malebant. Sufficiebat ipsis nosse, se divini Spiritus gratia per *verbum* emendari, converti, sanctificari, et cum DEo uniri. Hinc illud diligenter et cum animo discendi cupido audiebant, legebant, meditabantur, et pio corde retinebant. Certi namque erant, sibi non desore efficacissimam et salutarem Spiritus Sancti gratiam, si medium, per quod solum operari vellet, recte adhibeatur. Verum enim vero hac quoque in re humana ratio aliquid tentare volebat. Conversionem DEI opus esse, quod mediante verbo perficeretur, clarissima Scripturae testimonia perspicue docebant. In ipso igitur dogmate nihil inveniebat, in quo suas vires experiri potuisset. Sed quaestio, *quomodo Sp. S. humana corda per verbum flecteret et emendaret?* aptum videbatur disputationis argumentum. Hinc, neglecto fidei dogmate, quod solum rei existentiam tradit, coeptum est quaeri de *REI MODO*. Hoc studium etsi non prorsus improbari potest, praesertim, si illustrationi rerum theologiarum, aut removendis objectionibus vel explicationibus inferviat, quibus veritas caelestis impugnatur vel obscuratur, periculosum tamen est, non sine necessitate tractandum, et quidem ab iis solis, qui sanioris philosophiae principia non minus, quam dogmata divinitus revelata recte tenent, et, procul a vanitate et ostentatione, de veritatum salutarium cognitione bene mereri cupiunt.

Nam

V

Nam plerisque accidit, quod euenire solet iis, qui, relicta via regia, curioso percontantur, quorsum diverticula ducant, et in iis longius progressi ad rectum tramitem redire nequeunt. Id certe suo exemplo comprobarunt multi, qui de modo operationum gratiae disputarunt. Paucissimi medium tenuerunt. Plerique in unum alterumve extremum, magno eum detrimento veritatis, delapsi sunt. Cum enim neutra pars negare auderet, Sp. S. homines per verbum illuminare et regenerare, nonnulli rem istam sic concipiendam esse putarunt: DEum ea, quae credi et peragi oporteret, olim sanctis hominibus inspirasse; Ab his divinas illas veritates in literas relatas esse; Eas igitur hodie ab omnibus ex verbo scripto addisci posse; Et si fatis cognitae fuerint, in hominis esse potestate, illis assentiri, eosque sequi. Hoc modo cuncta in conversione ad Spiritum Sanctum per verbum referri, sentiebant. Nam licet homo per vires naturae immediate converteretur, quibus adhuc integrum foret, Scriptura bene et in suam emendationem uti, tamen, cum homo converti haud posset, nisi Scriptura existeret, et Sp. S. primus Scripturae auctor sit, ipsum, tanquam causam causae, etiam oporteret esse causam causati. Alii vero, qui in hoc conversionis modo nihil inueniebant, quod supernaturale foret, eum quidem recte reiciebant, sed alium errorem amplectebantur. Nam persuadebant sibi, ex sacris literis tantum historice cognosci posse, quae credenda et agenda essent; ad assensum vero et voluntatis emendationem opus esse singulari quadam virtute DEi, quae ad verbum accederet; et hac divina omnipotentia homines prorsus eodem modo converti, quo res omnes olim creatae essent a DEO. Non inutile erit, hanc sententiarum oppositionem rebus in Ecclesia gestis breviter illustrare.

Primus, qui Ecclesiam hoc controversiarum genere turbavit, erat PELAGIVS. Considerabat ille humanam naturam, qualis in se est, non habita corruptionis ratione. Hinc

VI

sibi facile persuadebat, ita eam adhuc esse comparatam, ut bonum efficere, et malum evitare possit, si modo rectam habeat legis divinae cognitionem. (a) Et quoniam illa longe facilius et plenius ex divina revelatione addiscitur, quam ex principiis naturalibus, concludebat, nullum aliud dari gratiae adiutorium, quam institutionem illam de lege divina, quae ex Scriptura Sacra hauriri posset. (b) Ipse igitur Spiritum Sanctum ad conversionis opus concurrere credebat, quatenus veritates ad salutem scitu necessarias olim revelasset, et hoc medio homines instrueret, quid agendum vel omittendum esset. Tam foedum errorem ferre non poterat pia antiquitas. Impugnabat eum solidissimis rationibus, et ex sacris literis perspicue demonstrabat, in efficiendo bono opere nihil prorsus valere liberum arbitrium, sed opus esse divina gratia, quae singularis DEi omnipotentis esset operatio, in humanas mentes ad salutem vere et realiter influens. Vtinam vero non minus feliciter res suas egisset asserendo, quam refutando! Sed hac in re, videmus, homines fuisse antiquos illos Patres, et humana imbecillitate non caruisse. AVGVSTINVS, quo potentiorum gravioremque nullum Pelagiani experti sunt adversarium, argumentis, quae opponerentur, haud obscure significabat, quod rectius de *existentia*, quam de *qualitate* et *natura gratiae* sentiret. Nam gratiae necessitatem asserturus operose probabat, nulla lege, doctrina, institutione, scientia, revelatione, etc. hominem emendari posse; gratiam, qua homo converteretur, irresistibiliter operari; immediatam et unicam causam conversionis esse praedestinationem; etc. Ex his omnibus satis iam constabat, quoniam ipsi fuerit sententia

- (a) Vid. AVGVSTINI *Epistola ad Innocentium Papam*, quae in ipsius *Opp. Tom. II. p. 617. seqq.* et apud HARDVINVM in *Collect. Conc. Tom. I. p. 123. seqq.* extat; Item CONCILII MILEVITANI *Epistola* apud HARDVINVM *loc. cit. p. 1221. seqq.* HIERONYMVS in *Dialogo I. adv. Pelagium Opp. Tom. II. p. m. 261. seqq.*
- (b) AVGVSTINVS *Lib. de Haeres. Cap. 88. et in Lib. de Spir. et Lit. Cap. II. Opp. Tom. X. p. 87. et in Epist. 177. 178. Tom. II. p. 622. 729.*

ria de gratia, et illius operandi modo. Nimirum in ea totus erat opinione, gratiam convertricem esse aliquam DEi operationem, quam homini immediate applicaret, et qua singulos motus sanctos in eius anima immediate produceret. Quod ne cui dubium esse videatur, lectores nostros ad ea Doctoris huius scripta reiicimus, ubi disertis verbis docet, quamlibet piam cogitationem, et quodlibet bonum desiderium homini, cum verbum DEi audit, a DEo inspirari, et quidem eo inspirationis genere, quod non posset contingere per verbum. (c)

Sedi Romanae ab initio non displicebar pelagiana opinio. ZOSIMVS, P. R. libellum fidei, a PELAGIO ET CAELSTIO sibi traditum, approbabat, licet inter alia hanc quoque doctrinam contineret, homini ita asserendum esse liberum arbitrium, ut aequè peccare et non peccare posset. (d) Contendunt quidem Scriptores pontificii, ZOSIMVM non ipsam doctrinam, sed utriusque haeretici animum laudasse, qui melioris informationis et emendationis fuisset cupidissimus, et de quo bene eum sperare oportuisset. (e) Sed ex ipsis rerum eo tempore gestarum monumentis patet, non de mente, sed de doctrina et externa confessione Pelagii quaestionem fuisse. Et quis unquam audivit, doctrinam in se falsam ideo dici posse

(c) Vid. AVGVSTINVS in *Lib. de Corrupt. et Gratia* Cap. III. et VI. *Opp. Tom. X. p. 751. 754. Contra duas Epist. Pelag. ad Bonifacium Lib. II. Cap. VIII. Tom. X. p. 442. Cap. X. p. 446. Lib. IV. Cap. V. p. 474. De Spir. et Lit. Cap. XXIX. Tom. X. p. 114. Epist. CXCIV. ad Sixtum Tom. II. p. 720. Epist. CLXXXVIII. ad Iulianam p. 695.*

(d) Libellus fidei a PELAGIO exhibitus extat in *App. Opp. AVGVSTINI Tom. X. p. 96. seq.* Literae vero ZOSIMI, in quibus Pelagii et Caelestii causam agit, apud BARONIUM in *Annal. Eccl. ad A. C. 417. num. 19. seqq. Tom. V. p. 449. seqq.*

(e) Vid. NATALIS ALEXANDER in *Dissert. III. ad Hist. Eccl. Sec. V. Tom. V. p. 204. seqq.*

VIII

posse catholicam, quod illius auctori animus esset, correctio-
nis non impatiens? De quo etiam si satis confisisset Pontifici,
Pelagium tamen ab errore liberum pronunciare haud debuisset.
Neque haec causa erat, quam agebat ZOSIMVS. Testatur
quidem, se omni studio et saepius explorasse, num
corde crederet, quod externe profiteretur PELAGIVS. Sed
agnoscit simul, iudicium de occultis et internis aliorum cogi-
tationibus ad solum DEum pertinere. Quare non dubita-
mus, ipsam Pelagii doctrinam ab initio Romae approbatam
esse. Cum vero Pontifex constantiam Episcoporum Africa-
norum videret, qui a synodali suo decreto recedere nullo
modo volebant, et periculosam schismata mendum esse in-
telligeret, si contra commune iudicium tot praestantissimo-
rum et celeberrimorum Doctorum pelagianam haeresin de-
fendere pergeret, aliquid tempori dandum esse ratus, postre-
mo et ipse Pelagium sua condemnavit sententia.

Ita tandem in Occidente vicit doctrina AUCYSTINI, et
pelagianum nomini ab hoc tempore semper adhaesit haereseos
macula. At vero tantum abest, ut haec opinio, toties con-
demnata, prorsus extincta fuisset, ut potius a quibusdam sem-
per occulto aleretur, et tandem publicos naeta sit assertores
et defensores. SCHOLASTICORVM namque Theologia
quid, quaeso, aliud est, quam merus Pelagianismus? Sunt
quidem inter eos, quod diffiteri haud possumus, nonnulli
puriores, qui agnoscunt, nullas dari vires naturae, quibus
bonum aliquod peragi posset, sed singulari prorsus DEI gra-
tia, quae non esset donum naturale, opus esse, ut homo ali-
quid boni cogitare, velle, et agere posset. (f) Sed plerique
liberum arbitrium ita extollunt, ut gratiae divinae nullus re-
lin-

(f) PET. LOMBARDVS *Lib. II. Sent. Dist. XXI. G. H. I. p. 189. seq.*
et Dist. XXVI. A. B. p. 192. THOMAS AQUINAS *in Summa*
Theol. Prim. Sec. Qu. CXIII. Art. 3. Qu. CXIV. Art. 5. p. 256. 259.
GVILIELMVS PARIISIENSIS *in Lib. de Virtutibus Cap. XI. Opp.*
p. 127. Edit. Venet.

linquatur locus. Ea enim, quae in Ecclesia Romana dispositiones et praeparationes ad iustificationem dicuntur, virium naturalium opus esse docent. Ex horum igitur opinione, homo sibi relictus, solisque naturae viribus instructus, verbo DEI assentiri et credere, contritionem in se ipso excitare, misericordiam divinam desiderare, peccatum detestari, novam obedientiam inchoare, etc. potest. Et quamquam ad haec omnia requirant adiutorium gratiae, hoc tamen illis non est operatio Spiritus Sancti, qualem nos credimus, sed donum naturale, homini sine proprio merito collatum, quod nemo mortalium careret. (g)

Haec doctrina ab initio quidem videri poterat privata quorundam Doctorum, sed successive tantam consecuta est auctoritatem, ut sub initium Reformationis publica et dominans esset, et illi, qui secus sentirent, suspecti haberentur, et interdum anathematis fulmine percuterentur. Primus, qui in ipsa E. R. hostilem Pontificis animum hanc ob causam experiebatur, erat IOANNES GRIMANI, Patriarcha Aquileiensis. Haeresin, cuius in suspicionem Romae venerat, hanc fuisse contendunt Scriptores Pontificii, *praedestinatum a DEO nullo modo damnari posse, et praedestinationem, aequae ac reprobationem, adeo necessariam esse, ut in voluntate et arbitrio hominis neque salus, neque damnatio posita sit.* Sed inter propositiones suspectas, de quibus summum inquisitionis romanae tribunal eo tempore iudicabat, haec quoque legitur, *in salutis negotio totum tribuendum esse DEO.* (h) Ex quo facile videmus, literam

B

illi

- (g) BONAVENTURA in *Lib. II. Sentent. Disp. XXVIII. Art. II. Qu. 1.* p. 442. 199. DURANDVS de ST. PORTIANO in *Lib. II. Sentent. Disp. XXVIII. Qu. 5.* p. 202. ALEXANDER ab ALES in *Summa Part. III. Qu. 69. Membr. 3. Art. 3.* p. 244. CONF. GABR. VAZQUEZ in *Prim. Sec. Thomae Disp. CXCIX. Cap. 1.* p. 556. FRANC. SVAKEZ in *Prolog. III. Lib. de Gratia Cap. IV.* p. 99.
- (h) Vid. RAYNALDVS in *Cont. Annal. Baron. ad A. C. 1549. num. 24.* Tom. XXI. p. 425. SPORTIA PALLAVICINVS in *Hist. Cong.*

X

illi motam esse propter opinionem, quod Lib. Arb. in Conversionis negotio nihil valeat, sed cuncta referenda sint ad gratiam divinam. Paulo post damnata est doctrina MICHAELIS BAII, Theologi Lovaniensis, qui inter alia asseruerat, nihil boni praestari posse sine gratiae adiutorio, nullumque peccatum solis liberi arbitrii viribus evitari posse. (i) Quid in CORNELIO IANSENIO displicerit potiori Pontificiorum parti, ex quinque illis propositionibus ab INNOCENTIO X damnatis patet. (k) Hi omnes gratiae necessitatem et existentiam, ab AVGVSTINO assertam, contra Pelagianismum in papatu dominantem, defendebant. Et quemadmodum ex hoc capite merito laudantur, ita optandum foret, ut et de indole et natura huius gratiae rectius sensissent. Quae nam hac de re illis fuerit opinio, nullibi quidem directe et fatis perspicue exposuerunt. Cum vero ab illis creditum sit, dari praedestinationem et reprobationem absolutam, ab ea dependere gratiae divinae adiutorium, huic gratiae a nullo mortalium resisti posse, etc. haud obscure colligimus, divinam operationem ab illis assertam esse, quae in mentem hominis immediate influeret, eamque ad fidem et pietatem obsoletam et physico quasi tactu moveret. Itaque litigantes illae partes in duo extrema sibi invicem opposita abierunt, neglecta veritate, quam in medio invenire potuissent.

Eadem est ratio controversiarum, quae Ecclesiam Reformatam affixerunt. Disputationes de particularitate et irresistibilitate gratiae necessitatem illis imponebant, statuendi, non omni-

Trid. Lib. XV. Cap. VI. §. 5. seqq. Part. II. p. 228. IAC. HYAC. SERKY in Praef. ad Hist. Congreg. de Aux. Gratias §. 13. p. 44. seqq.

(i) Vid. Bulla III V. P. R. apud HARDVINVM Tom. X p. 1206. seqq. et NAT. ALEX. in Hist. Eccl. Sec. XV et XVI, Cap. II. §. XIV. Tom. VIII. p. 105. seqq.

(k) Vid. Bulla INNOCENTII X apud HARDVINVM Tom. XI. p. 143.

omnibus, quibus verbum et sacramenta applicarentur, adesse gratiam convertricem. Quam si verbo inesse, et per verbum solum exferi credidissent, suas hypothesen hoc medio tueri non tentassent. Itaque sentire eos oportebat, gratiam, qua homo converteretur, esse immediam DEI operationem, quae ad verbum ex beneplacito divino accederet, et effectus salutare absolute ac irresistibiliter produceret. Quod quamvis nonnulli veterum Theologorum dissimulant, (l) hodie tamen non desunt Viri, qui ingenue fatentur, hanc suae Ecclesiae doctrinam esse. (m) Observatum hoc est tum a Nostratibus, tum ab Arminianis. Hi enim cum recte nobiscum consentirent in doctrina de universalitate et resistibilitate gratiae, illud operationum genus in conversione non poterant non reicere, quod a Reformatis adferebatur. Quia vero veram gratiae divinae rationem ignorabant, alterum extremum evitare non poterant. Hinc sibi persuadebant, ad conversionem hominis opus esse, ut recte teneat legem divinam, ut praemia bonorum et poenas malorum noverit, et ut denique suasionibus ac dissuasionibus, promissionibus ac comminationibus, excitetur ad eligendum bonum et fugiendum malum. Haec media si adhibeantur, tantum adhuc sufficere virium naturalium, credebant, ut homo peccare desinat, et DEO obedientiam praestet. (n) Adeo difficile opus est, humanam rationem coercere, ne a veritate, in medio posita, deflectat.

(l) CHRIST. MASSONIUS in *Anatom. Univ. Triumph Part. I. Cap. XIX. p. 313. seqq. et Part. IV. Cap. I. p. 1. seqq.* MARC. FRID. WENDELINUS in *Prol. Christ. Theol. Cap. II. Th. VI. §. 3. p. 23.*

(m) DAN. WYTTENBACH in *Tent. Theol. Dogm. Loc. IX. §. 1020. Sch. 2. p. 832. seq.*

(n) Vid CONFESSIO REMONSTR. *Cap. VI. §. 2. p. 20.* SIMON EPISCOPIUS in *Inst. Theol. Lib. IV. Sect. IV. Cap. XVII. p. 399.* STEPH. CVCCELLAEVS in *Inst. Rel. Christ. Lib. III. Cap. XII. p. 121.*

Nostrates ab initio simpliciter tantum credebant, omne bonum opus in nobis a Sp. S. effici per verbum. Hoc unicum sufficiebat, tum ad refutandos errores pelagianos Pontificiorum, tum ad reiiciendas immediatas inspirationes Fanaticorum. Hi enim soli erant adversarii, qui eo tempore veritatem impugnabant. Post haec vero extiterunt homines, qui, hac fidei simplicitate non contenti, arcanas illas Sp. S. operationes ingenii sui figmentis ornare et illustrare volebant. Dicebant illi, Sp. S. per verbum quidem docere homines, quid eos credere et agere oporteret; quando autem verbo divino assentirentur, et bona oblata desiderarent et apprehenderent, id singulari quadam operatione Sp. S. effici; hanc operationem non esse operationem verbi, sed immediatam actionem Sp. S. quae ad operationem verbi accederet, et cum illa uniretur; hac ratione duas distinctas virtutes ad opus conversionis concurrere, virtutem verbi, et virtutem Sp. S. qui iuxta verbum suum immediate operaretur. Haud difficulter videbant Theologi perspicaciores, subtilem hunc esse Enthusiasmum, qui simpliciorum animos eo facilius corrumpere posset, quo confidentius, qui secus sentirent, Pelagianissimi accusarentur. Ergo cum huic malo mederi haud possent, nisi verum operandi modum, quo Sp. S. uteretur, exponerent, id sibi negotii datum esse arbitrabantur, ut perspicue ostenderent, qua ratione DEus homines per verbum suum illuminaret et regeneraret. Hac occasione primo omnium ex instituto declarata est illa efficacia, quae verbo divino inest, et qua totum conversionis opus in nobis perficitur. Scilicet in asserenda divinae gratiae existentia et necessitate sequuti erant Augustinum. In huius doctrina, quae hactenus sana et verbo DEI conformis erat, acquieverant. Duriores sententiae de qualitate gratiae et modo operandi aut non attendebantur, aut benignius explicabantur. Nunc autem necessitas aderat, de industria demonstrandi, quae sit illa gratia, vis, et potentia, qua Sp. S. in convertendis hominibus uteretur. Docebant ergo, vim vere divi-
nam

nam supernaturalem verbo divino ineffe oportere. Et quoniam externis signis sola significandi vis competere posset, distinguebant inter materiale et formale verbi. Per posterius intelligebant ipsum Scripturae sensum, h. e. salutares illas veritates, quae per externa verba nobiscum communicarentur. Hunc scripturae sensum, credebant, esse divinam et supernaturalem potentiam. Est enim aeternum DEi consilium de nostra salute. Est divina illa sapientia, quae ab aeterno in infinito DEi intellectu exitit. Et a sapientissima DEi ordinatione dependet, ut verbo praedicato vel lecto inseparabiliter adsit, ac per illud intellectum et cor nostrum ingrediarur. Si quis ergo illud diligenter audiat et meditetur, recipit vim illam omnipotentis DEi, quae, nisi obex morose ponatur, salutares fructus certissime producit. (o) Nihil certe magis conveniebat testimonio, quod Scriptura de se ipsa perhibet. Nam Evangelium dicitur potentia DEi, Rom. I, 16. verbum vivum et efficax, quod in interiora cordis humani penetrat, Ebr. IV, 12. Spiritus et vita, Io. VI, 63. consilium DEi de salute nostra, Act. XX, 27. divina potentia et sapientia, 1. Cor. I, 24. arcana et in mysterio abscondita sapientia DEi, 1. Cor. II, 7. incorruptibile regenerationis semen, 1. Pet. I, 23. verbum veritatis, per quod regeneramur, et quod animas nostras salvare potest. Iac. I, 18. 21. Nihil quoque ad evitanda duo ista extrema aptius est, quam si haec doctrina pure et sancte servetur. Qui enim docet, hominem veritatibus divina potentia armatis regenerari, primum cavet, ne quid in conversionis negotio humanis viribus tri-

B 3

bua-

(o) Haec doctrina Nostratum praecipue exposita et tradita est in THEOLOGORVM SAXONICORVM Lib. germ. de Scriptura Sacra iussu Electoris Saxoniae 1629 edito; et in Responsis THEOLOGORVM tum WITTEBERGENSIVM tum IENENSIVM in causa rathmanniana, quae extant apud DEDEKENVM in The- sauro Consil. et Decis. App. p. 152. seqq. Hos enim Theologos deinceps sequebantur reliqui Theologi in Systematibus et aliis Scriptis.

XIV

buatur. Tum vero etiam efficit, ne quis sibi persuadeat, DEum irresistibili quadam ratione pro absoluto suo decreto homines convertere, et causam impenitentiae malorum hominum in defectu gratiae sufficientis contineri, quae si applicata fuisset homini, reluctari haud potuisset. Denique rectam viam monstrat, quam si ingrediamur, verbum DEI diligenter legendo, audiendo, et meditando, nunquam nobis deerit gratia ad salutem sufficiens.

Si quis nunc quaerat, quare, neglecta veritate, quam nunc tradidimus, plerique in sententias contrarie sibi oppositas abierint, haud difficilis est responsio. Scilicet utraque litigantium pars putabat, verbum DEI eiusdem generis scriptum esse, cuius reliqua omnia forent, et ab iis tantum argumento differre. Cum igitur scriptum nil nisi significare possit, quid illius auctor cogitaverit, et quid cum lectoribus suis communicare voluerit, concludere, ex Scriptura Sacra non nisi historicam rerum credendarum et agendarum notitiam hauriri posse. Hac hypothese utrinque approbata et praesupposita, alii in ea erant opinione, historicam hanc rerum spiritualium notitiam ad conversionem sufficere; tantum enim virium naturalium in homine adhuc superesse, ut cognitae veritatibus assentiri, et cognita bona appetere, mala vero averfari possit; hinc DEum homines per verbum non aliter convertere, quam significando ea, quae credi et agi oporteret. Credebant enim, alia si opus esset cooperatione DEI, eam non nisi absolutam et immediatam esse posse, et tunc emendationem cordis humani eiusdem generis opus fore, cuius est creatio substantiarum, aut aliud quodcumque miraculum in rerum natura perpetratum. Alii vero, qui intelligebant, hunc conversionis modum mere naturalem esse, qui cum extrema illa humanae mentis corruptione nequam confiteri posset, aliam DEI operationem recte requirerent. Sed quoniam supernaturalem illam virtutem, verbo DEI instram, ignorabant, absolutam et immediatam DEI opera-

operationem ut statuerent, necesse erat. Hi ergo credebant, cum homo verbum divinum legeret vel audiret, DEum vim absolutae suae potentiae cordi humano admovere, et in eorum assensum, tum alios bonos motus creare, sic ut horum effectuum immediata ratio in voluntate et decreto DEi contenta esset. Quia vero hic operandi modus ab homine impediri non posset, et experientia tamen doceret, multos sine salutaris fructu verbum audire, fieri non poterat, quin ad alios errores progredierentur. Huc ex. gr. referri debet opinio, non omnibus verbum DEi legentibus et audientibus adesse gratiam convertricem, eam particularem duntaxat esse, hominum conversionem ab aeterna DEi praedestinatione dependere, eam non praevisione aliqua fidei aut non-resistentiae malitiosae hominum, sed solo DEi beneplacito niti, etc. Quae omnia qui animo veritatis cupido expendit, haud difficulter animadverteret, quam necessarium sit, ut doctrina de verbo DEi, deque illius efficacia et virtute supernaturali recte teneatur in Ecclesia, omnesque sinistrae opiniones huic eius auctoritati contrariae diligenter observentur et consultantur.


Haec sunt, de quibus Vos monere volumus, CIVES OPTIMI, cum utile aliquod argumentum his diebus pie meditandum Vobis proponendum esset. Spiritus Sanctus, cuius honori festum hoc sacrum esse voluit pia antiquitas, tunc demum a nobis recte colitur, cum ipsius operationes sine malitiosa resistantia recipimus, et salutare eius effectus in nobis produci patimur. Has vero operationes non nisi per verbum suum exferit. Per verbum ad nos accedit, corda nostra aperit, fidem accendit, in nobis habitat, nosque ad studium bonorum operum impellit, et spiritui nostro testimonium perhibet, quod simus filii DEi. Ergo primum mittimus omnes falsas opiniones, quasi immediata quadam operatione mentes nostrae illuminandae et sanctificandae essent, et verbum DEi tantum causa occasionalis aut conditio sine qua
non

XVI

non conversionis nostrae foret. Consideremus illud potius et tractemus ut vivum et efficacissimum sanctificationis instrumentum, et ut semen incorruptibile, quod si immissum fuerit animae, salutare fructus ferat. Hinc audiendum et meditandum est summa cum reverentia, exemplo Thessalonicensium, qui Evangelium ab Apostolo praedicatum, non ut humanum, sed ut verbum vere divinum recipiebant. 1. Theff. II, 13. Retinendum est praeterea pio corde, animo praedictis vacuo saepius volvendum, summa cum diligentia scrutandum, et, tanquam inviolabilis regula, in omni vita nostra observandum. Quod si fecerimus, non minus, ac discipuli Christi, propria experientia edocemur, verba, quae Sanctissimus Redemptor noster praedicavit, esse verba aeternae vitae. Io. VI, 68. P. P. in Academia Iulia

Carolina: D. II. Iun. MDCCLIX.





153516

X 2310927

R




IO. ERNESTI SCHVBERT, D.

DISQVISITIO

DE

OPERATIONIBVS
GRATIAE



HELMSTADT

LITERIS SCHNORRIANIS

A. R. S. C M D C C L I X.

